nem præfecti Auguſtalis vice ſacri cognitoris intercedant, & cauſas ſine ſpe quidem appellationis, Dei tamen & legum timore proferant decidendas. † Orientalem [1] autem tractum cauſas appellatione ſuſpenſas, & usque ad decem librarum auri quantitatem limitatas ad virum ſpectabilem [2] comitem Orientis mittere: ſimili modo audientiam & finem eis impoſiturum.

CAP. IV.

Ut a ſpectabilibus ad illuſtres appelletur.

ILlo videlicet obſervando, ut [3] viri ſpectabiles [4] duces [5], vel alii ſpectabiles judices, non ad alios eadem ſpectabilitate decoratos judices ſuas transmittant appellationes in litibus [6], quantæcunque ſint quantitatis, (cum non oporteat ad compares [7] judices appellationes [8] referri, ſed a minore judicio in majus [9] tribunal aſcendere) ſed ad illuſtriſſimam præfecturam, illorum appellationes, cujuscunque ſint quantitatis, (ut dictum eſt) dirigantur, qui una cum viro excelſo pro tempore quæſtore eas dirimat: utroque officio ſubminiſtrante, id eſt, tam ex ſacris ſcriniis more ſolito, quam præfecto prætorio. Ita [10] tamen hæc ſancimus, ut nec a ducibus vel aliis ſpectabilibus judicibus, quibus forte, etſi privati [11] ſint, imperialis majeſtas cauſas injunxerit, appellatio ad memoratos ſpectabiles judices currat: ne [12] cauſa non gradatim procedere, ſed perperam videatur. Sed a præſidibus quidem provinciarum, & judicibus a nobis datis, ſi non ſint ſpectabiles judices, intra memoratam quantitatem referetur. Si autem vel illuſtres [13] ſint dati a nobis judices, quibus apices dignitatum ſuper ſpectabilitatem ſunt, vel duces, qui omnimodo ſpectabilitate ſunt decorati: vel ii qui a principe delegati ſunt, ſpectabilem habeant dignitatem: eorum appellationes ſub quacunque quantitate in hanc regiam urbem ad competentes antiquo more judices referantur. † Omnibus aliis quæ de appellationibus ſtatuta ſunt vel ab antiqua proſapia, vel ab auctoritate anteriorum conſtitutionum, vel a noſtra humanitate, intactis illibatisque cuſtodiendis. Dat. Kal. Jul. *Conſtantinop.* poſt BELIS. V. C. CONS.*

DE APPELLATIONIBUS, AD QUEMNAM REMITTANTUR, SI RES OB QUAM APPELLATIO INSTITUITUR, NON SUPRA AURI LIBRAS [14] DECEM VALEAT.

Epitome ſuperioris Conſtitutionis.

NOn principalis litigator duntaxat, verumetiam procurator ejus, defenſor quoque & curator & tutor intra decem dies a lata ſententia provocare poteſt. † A prætoriorum præfectis provocare non [15] licet.

CAP. I.

SI dum principi [16] appellationis cauſam audire non vacat, legitimum tempus decurrat, nullum hinc liti præjudicium gignitur. Quando ad principem ejusque conſilium provocatur, ſi lis ipſa decem libras auri non exſuperet, illam in Ægyptiaco tractu, & adjuncta ei utraque Libya præfectus Auguſtalis audiet, & cognoſcet: in Orientali autem tractu comes Orientis: in Pontico vero, & Aſiatico, ſpectabiles comites, proconſules, prætores, & denique moderatores, ſi quidem hoc ſpecialiter ipſis injunctum fuerit. Qui omnes ſacrum habebunt auditorium, neque quisquam eorum ſententiam de appellationis cauſa latam poterit detrectare.

CAP. II.

QUando a ſpectabilibus præſidibus provocabitur, ſive res litigioſa plus decem libris auri, ſive minus valeat, prætoriorum præfectus una cum quæſtore, ipſis utraque cohorte miniſtrante, de illa cognoſcito.

TIT. III.

DE PRÆSIDE [17] PISIDIÆ.

NOVELLA CONSTIT. XXIV.

Imp. Juſtin. Auguſt. Joanni glorioſiſſ. ſacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

NUnquam ſane credidimus, veteres Romanos ex [18] parvis adeoque minutiſſimis principiis tam amplam conſtituere rempublicam, & totum exinde terrarum orbem (pene dixerimus) ſibi adjungere, & premere ac tueri imperio potuiſſe, niſi majoribus in provincias magiſtratibus miſſis, plus ea re dignitatis ſibi comparaſſent, ſimulque illis armorum [19] juxta ac legum poteſtatem feciſſent, neque non ad [20] utrumque accommodatos & idoneos habuiſſent, quos quidem prætores vocabant, appellatione illis ex eo indita, quod [21] cæteris omnibus præirent [22] & præponerentur, permiſſa ſcilicet eis tam rei bellicæ adminiſtratione, quam legum præſcriptione. Unde & ea loca in quibus publice magiſtratus vel jus reddere, vel habitare ſolebant, *Prætoria* [23] appellare, & ut pleræque in rempublicam leges ex viva prætorum voce inferrentur, conſtituerunt. Et multi [24] prætores partim Siciliam, partim Sardiniam inſulam, partim Hiſpaniam, partim terra marique alii aliud vel imperio adjecerunt, vel rexerunt.

CAP. I.

HÆc nos in animo reputantes, & vetuſtatem [25] denuo majore cum flore & venuſtate quaſi poſtliminio reducentes in rempublicam, Romano præterea nomini dignitatem addentes, & videntes quod duplici in aſperiores provincias magiſtratu ad hunc usque diem deſtinato, neuter ad plenum ſua forte contentus fuerit, ſed ex ea cauſa per quaſdam noſtras provincias, in quibus tam civilis quam militaris magiſtratus exiſtit, ſemper inter ſe rixentur [26], ſemper pugnent, non quo ſubditis boni aliquid faciant, ſed quo eos magis atterant: e re fore putavimus, ſi [27] utrumque magiſtratum tam civilem quam militarem in unam [28] formam contrahamus, imponamusque denuo ei qui hanc poteſtatem habebit, appellationem [29] Prætoris: ut idem & militaribus copiis, quæ per provinciam ſunt ſecundum cognomentum antiquitus illis impoſitum præeat, & præficiatur legibus: ſi quidem & hoc initio Prætorum erat proprium: & cum utriusque officii annonas [30] habeat, una tantum cohorte utatur ex centum [31] cohortalibus, (tot enim ei ſufficient) quæ Prætoriana cohors appelletur, & per [32] probatorias convenienter hinc procedentes conſtituatur. Ita enim dignitate [33] plenus erit, ita latrocinia exercentibus terribilis, ita injuſtis inevitabilis: ſi majore cum poteſtate omnia conficiat: & cum lex jampridem a nobis poſita jubeat omnes omnino judices puris uti manibus, ei obtemperet, & præſtito juramento, ſecundum hanc res gubernet, tum [34] armis utens quam civilia ſecundum noſtras leges ordinans. Unde tametſi ex glorioſiſſ. Conſulib. [35] aliquis ad hanc adminiſtrationem accedat, nihilominus in hoc imitatio quædam priorum eluceat, qua videlicet provincias ſortientes Coſſ. conſulareſque viri, & non multo [36] illis inferiores Prætores, paulatim Romanorum nomen ita auxerunt, & tam amplum effecerunt, quantum nulli [37] unquam alii reipublicæ ſeu imperio conceſſit Deus. Id quod *in Piſidarum regione initium primum ſumere volumus: propterea quod* veteres annalium [38] ſcriptores prodidiſſe invenimus, olim [39] Piſidarum gentem univerſæ illius terræ ſummum tenuiſſe imperium, & jam nunc majore & vehementiore hanc provinciam magiſtratu indigere, (nam & maximi [40] in ea pagi ſunt, & multi homines, & qui ſæpenumero ob [41] ipſa publica tributa ſeditiones movent) & prædatricibus illis & ſanguinariis regionibus, quæ ſupra voracitatem & quandam inſatietatem lupini [42] capitis collocatæ ſunt, & Lycocranitarum [43] habitaculum vocantur, hunc magiſtratum præficiendum credimus, qui jam inde ordine legitimo in eam progrediatur. Ac ſi hic magiſtratus ſub ſpecie quadam incurſionis miſceatur, componantur etiam in unum tam militaria, quam præſidalia inſignia, & omnes eam militares copiæ ſequantur, quæ in provincia ſunt. Ad hæc tota civilis cohors venerando jam vocabulo appelletur, & prætoris cognomento honoretur, quis ipſum non abhorreat? quis non revereatur, ſimul in [44] unum leges & arma coire ſpectans, & indidem conditione præpoſita, ut aut legibus obtemperet, ſi bono eſſe animo, & ſervari velit, aut, ut vel primo ſtatim intuitu pereat, armis in proximo leges corroborantibus.

CAP. II.

OPortet igitur, ut qui hunc magiſtratum ſuſcipit (ſemper autem gratis [45] eum, & absque ulla datione pecuniæ ipſi conferimus, ut & ipſe per omnia ſordibus abſtineat, & his ſolis, quæ ex publico ſolvuntur, contentus ſit, id quod etiam prima [46] noſtra lex dicit) juſte & pure & cum quadam [47] aſperitate humaniter ſe erga ſubditos gerat, quemadmodum in priore lege diſpoſuimus, homicidia, adulteria [48], raptus virginum, omne denique maleficium provincia expellat, & qui ea deliquerint, ſecundum [49] noſtras leges puniat, neminem præterea maleficorum revereatur, etſi de potentioribus ſit, neque his ſe ſubmittat, qui nullam de ſe utilitatem, at bene nefarias de ſe occaſiones præbere poſſunt: ſed per omnia jus ipſum tueatur, & ad noſtras leges reſpiciat, & ſecundum eas judicet, & ut ſubditi noſtri ſecundum illas vitam ſuaque ſtudia inſtituant, efficiat, inſuper ad Deum quoque, & noſtri timorem reſpiciat, neque præterea quicquam omnino in animo cogitet. Item ut neque crebro [50] ex provincia huc commeet, neque immodicis literis nos interpellet, ſed in omnibus prior ipſe audientiam accommodet, eaque diſceptet, & memor, quantam illi dignitatis magnitudinem dederimus, ita ſe hac in re gerat, ut pro geſto magiſtratu cauſam dicere neceſſe non habeat, ſciens, quod ſi quis eo adito jus ſuum non conſequatur, compellaturque hæc ad nos referre, pro eo deinceps certamen illi nobiscum futurum eſt. Quemadmodum enim juriſdictionis augmento ipſum honoravimus, ita rurſus ſi præter intentionem & opinionem noſtram tradita eum adminiſtratione abuti deprehenderimus, competenti ipſum animadverſione perſequemur, tam Deo in hoc ſubſervientes,

1 De provocationibus in orientali regione porrectis. Jul. *c.* 93. 2 Vel ita, de appellationibus contra ſententias ſpectabilium porrectis. Jul. *c.* 95. 3 A ſpectabilibus ad illuſtriſſimum P. Præt. appellatur. 4 In his cauſis, in quibus ipſi principaliter judicant. *Jul.* 5 Proconſules. *Julian.* 6 Appellari non ſolet a pari ad parem. 7 Par in parem non habet imperium. *l.* 3. *in fin. l.* 4. *ff. de recept. qui arbitr.* 8 De appellationibus contra ſpectabiles judices introducendis & exercendis. Jul. *c.* 95. *c.* 101. 9 A minore ad majus tribunal appellatur, vide *l.* 1. *l.* 2. *l.* 3. *ff. quis & a quo appelletur.* 10 Aut potius non ſpectabiles, Jul. *hic*, hoc ſenſu: ſi non ſpectabiles ſint hi, contra quos appellatio porrecta, & a divina juſſione vel ab aliis magiſtratibus judices conſtituti, tunc proconſules appellationem audiant. 11 Id eſt, non illuſtres, *l.* 32. [illegible] 12 [illegible] 13 [illegible] 14 [illegible] 15 [illegible] 16 [illegible] 17 [illegible] 18 [illegible] 19 [illegible] 20 [illegible] 21 [illegible] 22 [illegible]

23 Dixi ad *l.* 14. *C. de offic. rector. provinc.* 24 *l.* 2. §. 32. *ff. de orig. jur.* 25 Vetuſtas poſtliminio reducenda. 26 Civiles judices a militaribus ſæpe diſſentiunt. Præſtat itaque præſidem provinciæ munus utrumque ſuſtinere. Unitas enim rixæ ſeu diſſenſionis eſt impatiens. 27 Ut utrique Piſidiæ magiſtratus, id eſt, civilis & militaris, in unum miſceantur. Jul. *cap.* 66. 28 Id eſt, ſi utrumque magiſtratum uniamus & miſceamus. 29 Ut qui ita præſit Piſidiæ, prætor Juſtinianeus vocetur. *Julian.* 30 Duabus dignitatibus in unum conjunctis, duplices annonæ quoque conjunguntur. 31 Cohors prætoriana, 100. cohortalibus conſtans. 32 Ut ſinguli apparitores Piſidiæ per probatorias fiant. 33 Vid. *c.* 4. J. 34 Vid. *proœm. Inſt.* 35 Conſuli turpe non fuit prætoris provinciæ munus poſtea ſuſtinere. 36 Prætores ſuo tempore, non multo inferiores conſule, vid. *quæ not. ad Novell.* 13. *c.* 1. eorum poteſtas admodum poſtea degeneravit, Boëthius 3. *de conſol.* Prætura olim poteſtas magna, nunc inane nomen & Senatorii cenſus gravis ſarcina. 37 Romano Imperio nullum conferendum. 38 Annales probare & ex annalibus probationem ſumi, hinc colligas, adde *Nov.* 25. & *l.* 1. *ff. de off. quæſtoris. l.* 10. *ff. de probat.* 39 Piſidarum imperium quale olim fuerit, obſerva. 40 Provinciæ celebrantur urbium amplitudine. 41 Seditiones ob tributa. 42 Λύκυ κεφαλῆς. intelligit, ut opinor, Lyci fluminis capita, cujus fit mentio apud Solinum: agitur enim hic de Piſidia. confirmabit id etiam magis collatione Ptolomæi. Turpiter itaque vetus hic interpres hallucinatus eſt, qui pro Lyci fluminis capite, *lupinum caput* tranſtulit, & ex Lyco fluvio, lupinum quiddam confecit. 43 Λυκοκρανητῶν, Hal. λυκοκρανίας. Scrimg. 44 Concurſus legum & armorum. 45 Venales dignitates eſſe, non convenit. Vid. J. *Nov.* 8. 46 *Nov.* 8. *c.* 7. *Nov.* 17. 47 *Nov.* 17. *c.* 5. §. 3. 48 *l.* 3. 6. 13. *ff. de off. præſid.* 49 *tit. Inſt. de off. jud.* 50 *l.* 15. *ff. de off. præſid.* adde *l.* 166. *ff. de verb. ſign.* & 3. *Gell.* 2.

quam

quam opem ferentes legibus, ſive furta [1] eum feciſſe, ſive gratia forte aut inimicitiis ſuperatum, ſive leges noſtras transgreſſum eſſe deprehenderimus: dum enim ſubditos iterum exigere, & his malis, quæ usque adhuc extiterunt, mederi volumus: & magnas opes deſpeximus, & ad hanc diſpoſitionem oculos convertere properavimus.

CAP. III.

POrro non tantum ad hæc eum proſpicere oportet, quæ ante a nobis dicta ſunt, ſed etiam curare ut affluens rerum copia [2] ſit in urbibus, ne quid cives deficiat. Inſpiciat etiam in civitatibus opera [3], neque in hoc ſeipſos a ſe vinci patiatur: ſed & aquarum ductus, & pontes, & muros, & itinera publica refici ſtudeat, neque committat, ut exactores [4] qui illuc commeant, in aliquo ſubditos noſtros prægravent: neque juſſiones alias, quæ improbato more fieri ſolitæ, ex thronis excellentiæ tuæ de refectione murorum, de ſternendis itineribus publicis, deque aliis, plus mille cauſis procedunt, ſuſcipiat. Omnium enim horum cauſa, & ſi aliud præterea ejus generis, nemini permittit, ut ſubditos noſtros injuriis afficiat, neque prodibit de thronis tuis ſententia, quæ tale quid dicat, (jam enim hoc prohibuimus) ſed ſolus ipſe omnium curam geret. Si vero ex ſacræ noſtræ legis ſententia pragmaticam aliquam formam [5] dirigamus, quam forte ad tuam emittamus præfecturam, examinabit ille prius, quæ inibi a nobis jubentur. nemini autem alii omnino copia fiet deprædandi ſubditos, quo magis aliquando provincias iterum refertas hominibus, iterum ſuis civibus efflorefcentes, neque undique huc confluentem videamus hominum multitudinem, qui propter improbitatem præſidum in ſuam patriam reverti non audeant. Ideoque ſancimus ne amplius excellentia tua Piſidicæ gentis magiſtratus pro diviſis habeat, ſed ut unum ſit in ea ſpectabilis Prætoris officium, quod idem & militare & civile exiſtat: quod ſimiliter & publicarum civiliumque rerum curam gerat, & militibus præeat, ut mutuo [6] auxilio & juriſdictio ex armis vires colligat, & cohors armata condecoretur lege. Neque enim deinceps aliqua per urbes orietur ſeditio, ſi talem de cætero virum præfecerimus, qui utroque nobis officio dignus putabitur.

CAP. IV.

QUæcunque igitur fiſcus erogaturus eſt, ea ſecundum ſubjectam huic ſacræ noſtræ legi deſcriptionem ſpectabili prætori, circaque ipſum verſari ſolitis præſtari jubemus. Unde & ſacræ noſtræ appellationis notam præponi volumus, & qui Piſidiæ præſes erit, is prætor [7] Juſtinianeus eſto. Obtemperet autem illi Prætoriana cohors, ex probatoriis [8] (ut diximus) conſtituenda, quæ ſimiliter tam civilibus quam militaribus hominibus juxta & rebus occupata ſit. † Ad hæc publicorum quoque tributorum exactio hunc præſidem cohortemque ejus reſpiciet, & omnia magiſtratus habebit inſignia [9], quæ etiam modo habet, ſellam [10] ſcilicet curulem ex argento, *ſecurim quoque*, & faſces: habebit etiam inter milites Adreſponſum [11], adeoque & eo ipſo principatum illi inter milites, qui illic locorum ſunt, tribuimus, ut ipſos & pulchre regat, & cogat in ordinem, inſtruatque ut non ſolum latrocinantes perſequantur, ſed etiam ſubditos inter ſe manſuetos & modeſtos reddant. Neque item committat, ut ſeditiones moveantur in urbibus aut comites quidquam ad fiſcum ſpectans divellant, ſed ſupra [12] omnes poteſtatem habeat, nemine prorſus excepto. † Collocatus autem hic magiſtratus ſit in mediis [13] & in numerum ſpectabilium deſcriptus. Unde quæcunque in vicariis olim, hodie in comitibus Juſtinianeis Pacatianæ [14] Phrygiæ & Galatiæ primæ [15], item ſpectabili comite Orientis [16], & ſpectabilibus proconſulibus ſunt, ea & in hoc exiſtant: ſitque & ipſe ſpectabilis magiſtratus, & [17] appellationes quæ apud ipſum interponuntur, mittantur huc, & examinentur: ſicut in cæteris ſpectabilibus fieri ſolet magiſtratibus, introducanturque [18] in judicium glorioſiſſim. præfectorum, in cognitionem cauſæ, adhibito etiam glorioſiſſimo quæſtore ſacri noſtri palatii: propterea quod tametſi [19] is magiſtratus nonnihil in ſe habet militare, tamen quia prorſus in civilem & legitimam mutatus eſt formam, ideo neceſſario eundem tenere ordinem debet, qui pro conſuetudine jam olim obtinente in ſpectabilibus magiſtratibus obſervatus eſt.

CAP. V.

QUoniam vero nuper ſacra conſtitutione conſcripta promulgavimus, ut cauſæ appellationum, *quæ quidem quingentorum aureorum* [20] *ſummam non excedant*, a ſpectabilibus præſidibus huc devolutæ, in habitu & ordine ſacri auditorii examinentur, ſancimus [21], ut ſi qua ejusmodi cauſa emergat, ſcilicet in Piſidia duntaxat, ex delegatione ſive noſtra, ſive alicujus glorioſiſſimorum noſtrorum procerum, niſi qui datus eſt judex ſpectabilis ſit, ut non ad ſpectabilem Juſtinianeum comitem Pacatianæ Phrygiæ (id quod prius lege [22] determinavimus) proficiſcatur, ſed ad ipſum deferatur in ſua provincia interpoſita appellatio, & ipſe de ea cognoſcat in habitu ſacri auditorii (cohoneſtamus [23] etenim magiſtratum hoc etiam) & perfectam illi formam imponat, non remittendam ad hanc almam urbem, ne forte parvis [24] de cauſis magnas bonorum ſuorum perturbationes & damna litigatores ſuſtineant.

CAP. VI.

UT autem qui vel hoc prætoris, vel alia nobis inventa & invenienda officia ſuſcipiunt, cognoſcant, quo tandem modo provincias eos gubernare conveniat, viſum nobis eſt, non tantum ſigna [25] eis præbere adminiſtrationis in codicillis (ut vocant) ſed etiam, modum præſcribere, ſecundum quem provinciam adminiſtrent, (quæ quidem, qui nos anteceſſerunt legislatores, conſulta [26] quædam præſidialia appellabant) ut ad hæc intentis oculis propriam dirigant adminiſtrationem, perque hanc omni ex parte ſubditis noſtris proſint. Unde & id genus ſacra mandata juſſimus in ſacro laterculo reponi, ut una cum codicillis præberentur, præſidibus tum jusjurandum, quod in ſacra noſtra conſtitutione [27] deſcripſimus, præſtantibus, tum omnia alia, ut nos ordinavimus, adminiſtrantibus. Subjicietur autem a nobis huic ſacræ legi quædam etiam deſcriptio, quæ exprimat quid ipſum cum deligitur, præbere conveniat occaſione codicillorum officii, *ſive in ſacro laterculo, ſive in foro glorioſiſſimorum præfectorum*, quid rurſum illi, item adſeſſori, & circa ipſum verſari ſolitis porrigatur ex publico: ut omnibus nota facta providentia, quam circa officia gerimus, ille incontaminatum nobis & undique ſpectatum ſuum exhibeat miniſterium.

§. 1. Hanc ſane legem tum ſacrarum noſtrarum conſtitutionum lectio monſtrabit, (juſſimus enim & hanc inter eas deſcribere) tum ipſe ad effectum deduces, ut perpetuo in ipſis factis reluceat conſpiciaturque.

Oportet [28] prætori Piſidiæ annonarum, & capitum, ac reliqui ſolatii titulo præberi ſolidos CCC. ejus adſeſſori, ſolidos LXXII. ejus cohorti, aureos LII. Rurſum pro codicillis adminiſtrationis oportet ipſum præbere ſic: Spectabilibus tribus chartulariis ſacri cubiculi, ſolidos IX. primicerio clariſſimorum tribunorum notariorum & laterculenſibus, ſolidos XLV. ejus adjutori, ſolidos III. cohorti glorioſiſſimorum præfectorum pro juſſionibus & omni alia cauſa, ſolidos LX.

TIT. IV.

DE PRÆTORE [29] LYCAONIÆ.

NOVELLA CONSTIT. XXV.

Imp. Juſtinianus Aug. Joanni glorioſiſſ. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

CUm ad prima illa principia, ex quibus Lycaonum gentem, antiquarum rerum ſcriptores [30] & enarratores conſtitiſſe tradiderunt, reſpicimus, & quod maximam cum Romanis affinitatem habeat, quodque ex eadem ferme occaſione in unum coacta ſit, majore, quam hactenus magiſtratu eam exornare, juſtum putavimus. Siquidem uſu venit, ut olim Lycaon, qui [31] Arcadiæ in Hellade rex fuit, & Romanum ſolum incoleret, & aſſumptis quondam Oenotriis Romano Imperio daret veluti principium (dicimus autem vetera illa, quæ longo ante tempore Æneæ & Romuli ætates præceſſerunt) & deducta in haſce partes colonia, Piſidiæ bonam partem adimeret, eique deinde ſuum nomen inderet, & regionem ex ſe Lycaoniam appellaret. Inde adeo juſtum fuerit & ipſam magiſtratu adornare, cui veteris apud Romanos inſtituti ſigna & notæ inſcribantur, & illos, qui hoc ipſam tempore regunt (de præſide civilis juriſdictionis loquimur, & eo cui armorum cura commiſſa eſt) in unum contrahere, & prætoris [32] appellatione decorare. Eſt enim hoc nomen quaſi jure patrio Romani Imperii proprium, & ante [33] ipſos etiam Coſſ. in ampla Romanorum republica uſui habitum. Nam veteres Romani ſuos imperatores prætores appellabant, ſimulque illis præbebant, ut militaribus præirent copiis, & deſcriptis ab illis parebant legibus, & prorſus erat hic magiſtratus ex ambobus contemperatus, præ ſe ferens & oſtentans tam in inſtruenda acie robur, quam in ferendis legibus rectum & decentem ordinem.

CAP. I.

QUoniam igitur propoſitum nobis eſt etiam hic utramque adminiſtrationem in [34] unam contrahere, propterea [35] optimo illi jure prætoris [36] appellationem imponimus, ut una cum prætoris appellatione audientium animis inſonet ipſius quoque magiſtratus ſubſtantia ac natura, & quod non ſimplex ſit, nec ad unam aliquam rem tantummodo (nempe vel arma, vel leges) reſpiciat, ſed ſimul utrumque ad ſe munus ex æquo attrahat, quodque per copias militum vehemens & robuſtus, per legem lenis & manſuetus ſit: & per hanc cauſam maleficis quidem vehementiorem, probioribus vero civiliorem ſe & moderatiorem exhibeat. Neque hoc ſine cauſa agimus, aut ſolam appellationem attendimus, ſed ex uſu ac neceſſitate magiſtratus quoque metimur. Nam fortes ea regio viros habet, neque in ullo differt [37] ab Iſauria in medio, ut quæ mediterranea, aprica, equorum altrix exiſtens, tum multos viros, tum multos equos enutriat: magnus quoque in ea numerus eſt magnorum pagorum, & virorum ad equitandum, ad ſagittandum, ad animos ſine negotio & celeriter excitandos, ad arma prompte tractanda, denique tam ad militare imperium forte averſandum, quia illorum ſtatus privatam ipſis fortunam & ſolis civilibus magiſtratibus ſubditam adſcribit, quam ad hoc rurſus, *civile ſcilicet*, contemnendum, quia ſoli obtemperare legi, quæ non item ſtrenuitatem quandam adjunctam habeat, audacioribus formidabile eſt, idoneorum. Hæc nos permoverunt ut hunc quoque magiſtratum, quemadmodum apud Piſidas [38] fecimus, coadunatum redderemus, & noſtro appoſito nomine Prætoris ei appellationem inderemus. Volumus etenim & hunc prætorem [39] Juſtinianeum Lycaoniæ appellari, quomodo ſane & Piſidiæ, & aliorum. Deinde utramque [40] etiam cohortem in unam contrahimus, & *cui civilis, & cui militaris magiſtratus præfuit, ac Prætorianam illam appellamus*, conſtituendam [41], ex probatoriis more ſolito, ex ſacro libellorum ſcrinio, ex quo olim & duciani eas ferebant, procedentibus,

1 Avaritia, gratia, inimicitiæ, judicum peſtes. 2 Adde *l.* 1. §. 11. *ff. de off. præf. urb.* 3 *Nov.* 17. *c.* 4. *in pr.* & §. 1. *l.* 7. §. 1. *ff. de off. proconſ.* 4 *Nov.* 17. *c.* 8. 5 *Nov.* 17. *c.* 4. 6 Alterius ſic altera poſcit opem res & conjurat amice, adde *l. qui reſtituere.* 68. *ff. de rei vind.* 7 Ideo apud Julianum *conſt.* 17. conceptus eſt hic titulus, *de officio prætoris Juſtinianei Piſidiæ.* 8 Ex ſcrinio libell. *Novell.* 25. *c.* 1. 9 Inſignia præſidum ſella curulis ex argento, ſecuris & faſces, vid. *Novell.* 30. *c.* 6. & *l.* 14. *l.* 16. *ff. de officio proconſulis.* 10 Δίφρον ἐξ ἀργύρου. Carrucam argenteam vocat Julianus *hic.* 11 Καὶ εἰς ἀπόκρισιν. Hal. ad reſponſum propter milites, *Julian.* Adreſponſus ἀποκρισιάριος, reſponſa dans vice magiſtri militum. *Novell.* 25. *c.* 1. *in fin. Nov.* 123. *c.* 25. 12 Vid. *l.* 4. *ff. de offic. præſidis.* 13 Spectabilis dignitas media inter illuſtrem & clariſſimam. 14 *Novell.* 8. *c.* 2. 15 *d. Nov. cap.* 3. 16 *d. Nov. c.* 5. 17 Si provocatio porrecta fuerit contra ſententiam Prætoris Piſidiæ, vel alterius, qui in Piſidia judicavit, Jul. *conſt.* 17. *c.* 67. 18 Ut appelletur a ſententia Prætoris Piſidiæ ad P. Præt. & Quæſtorem ſimul. 19 Prætor Piſidiæ nonnihil habet militare, & tamen prorſus in civilem & legitimam mutatus eſt formam. Ea ratione fit, ut ab eo appelletur ad P. Præt. & ad Quæſtorem ſimul. 20 *Trecentos*, legit Julianus *hic.* 21 Ut ſi in Piſidia ex Imperatoris juſſione datus erit judex, non appelletur ad Comitem Pacatianæ, ſed ad Prætorem Piſidiæ: ſcil. ſi cauſa provocationis ultra 300. ſit aureos. 22 *Novell.* 8. *c.* 2. 23 Ut Prætor Piſidiæ ſacrum etiam auditorium habeat. 24 Parvas cauſas Julianus interpretari videtur 300. aureorum. 25 Τὰ σύμβολα τῆς ἀρχῆς, inſignia magiſtratus. 26 Mandata præſidis. *Scrimg.* 27 *Nov.* 8. 28 Notitia præſidis Piſidiæ.

29 6. *Ecl. de offic. prætor. Lycaoniæ.* Jul. *conſt.* 18. Præſes dicitur 8. *c.* 15. §. 20. 30 Annales probant. *Novell* 24. *c.* 1. 31 Vid. Pauſaniam 8. *Arcad.* 32 Qui præſes olim Lycaoniæ, hodie prætor. 33 Vid. Feſtum in prætoria porta. 34 Idem ergo hic conſtituitur in Lycaonia, quod conſtitutum fuit in Piſidia. *Nov.* 24. *cap.* 1. 35 Prætores igitur ii videntur fuiſſe, qui civilem ſimul & militarem poteſtatem habuerunt. 36 Ut qui antea præſes, Lycaoniæ prætor nominetur. 37 Ammianus 14. Relicta ora maritima, in Lycaoniam adnexam Iſauriæ ſe contulerunt. Porro Lycaonia magna ex parte campeſtris, idem *ibid.* 38 *Novell.* 24. J. 39 Nota de prætore Juſtinianeo Lycaoniæ. 40 Ut prætor Lycaoniæ habeat civilia & militaria inſignia. 41 Ut Prætoris Lycaoniæ apparitio fiat per probatorios.

dentibus,

dentibus, menſuramque illius ad [1] centum usque virorum numerum extendimus, & utriusque magiſtratus annonas [2], illi adſignamus, ſed & adſeſſori & reliquis. Quæ quidem ex ſubjectis ſacræ huic noſtræ conſtitutioni deſcriptionibus clara faciemus. Habeat item Adreſponſum [3], *ſive apocriſiarios*, ut inter milites omnia recte gerantur atque ordine: adeoque & aliis eum militibus qui per dictam provinciam ſtationes agunt, imperitare ſancimus.

CAP. II.

MIttemus ſane, qui id officii ſuſcepturus eſt, unum aliquem de probatis, & de numero noſtrorum procerum, unde [4] & olim prætores procedebant, ſuisque laboribus adornabant rempubl. nunc reſidentes in ſolo Italico, nunc proficiſcentes ad loca forenſia. Ac talis quidem ſemper ſui ipſius memor, & unde illi hæc adminiſtratio acceſſerit, venerandum ſe præbeat ſubditis, horrendum latrocinantibus & maleficis, omnia majore cum fiducia peragens. Neque dubium [5] quin puris utetur manibus, quandoquidem & officium gratis ſuſcipit: & alioqui lex noſtra nuper a nobis lata, omnibus omnino magiſtratibus in ipſa deſcriptis, præcipit ut manus contineant (qua de cauſa & juramentum [6] præſtant) & ſecundum leges noſtras dijudicent, omnemque æquitatem & juſtitiam ſubditis impertiant. Eo pacto cum reipub. ſuæ ſtatum veteres Romani exornarent, omnibus aliis rebus publ. potiti ſunt. Quis enim hunc magiſtratum non revereatur ſimul & horreat, videns duplici eum forma excubias agere, tum ut quæ lex jubet, facile ordinet, tum vero, ſi quid de lege violetur, ut hoc armis corrigat? §. 1. Quibus autem de rebus Prætorem [7] Piſidiæ in lege quæ de ipſo conſcripta eſt, appellavimus, de iisdem pulchrum putavimus & hunc appellare. Oportet enim ut cum undique gratuitum hoc officium ſuſcipiat, ab omnibus, & ipſe ſordibus alieniſſimus ſit, his ſolis contentus, quæ fiſcus præſtat, prout jam ante de præſidalibus officiis lata lex differit, ut item in rebus gerendis ſyncerum & juſtum ſe præbeat, ac quo modo adminiſtrationis ratio permiſta eſt, ita & ipſe harmoniam animi ſui nunc acutioribus & intentis, nunc lenioribus & remiſſis ſonis contemperet. §. 2. Odio quoque habeat & puniat omne adulterium [8], ad hæc homicidium, ſed multo [9] his vehementius raptus virginum. Cæteros etiam maleficos, ſi quidem incurabili morbo laborant, citra exceptionem puniat: ſi vero mediocriter, ad meliorem frugem tranſponat. † Inſuper neminem improbe agentium revereatur, etſi [10] dives, etſi majore aliqua dignitate præditus ſit. propterea enim de numero præſtantiorum electum ipſum mittimus, ut pro ſua potentia neceſſe non habeat cuiquam alii attendere, quam nobis & legibus, ſecundum [11] quas & ipſe judicet, & ſubditos vitam inſtituere procuret.

CAP. III.

SEd neque ſocordiæ ſe dedat, neque alicui injuriam faciat, ne ejus provinciæ homines cui præeſt, propter injurias illic acceptas, regionem [12] ſuam relinquant & continue nobis hic faceſſant negotia.

† Quin ipſe prius audientiam his quæ ad eum referuntur, præbeat, eaque diſceptet: & usque memor honoris quem illi detulimus, ita adminiſtrationis laboribus ſe exerceat, ut laudem inde, & a rationibus geſti magiſtratus reddendis dicendaque cauſa immunitatem conſequatur. Illud certo ſciens, quod ſi quis nos adeat referens domeſticam ſibi rem incommodis affectam eſſe, ſiquidem expertus apud eum, jus ſuum obtinuiſſet, hunc ipſum ſine aliquo dato reſponſo remittemus: ſi vero cum prius ad ipſum retuliſſet, deinde non obtento jure ſuo, ad nos decurrat, tunc non illi nos in poſterum, ſed ei qui magiſtratu fungitur, judicium conſtituemus, & quemadmodum ampliorem ei honorem reddidimus, ita & ſi ſocordiæ eum ſe dare, & his quæ in ipſum contulimus, negligentius uti deprehenderimus, opem feremus legibus, & convenienti eum animadverſione [13] perſequemur: & quemadmodum ille neque verba noſtra, neque leges, neque formam & gradum magiſtratus veretur, ita neque nos ipſum verebimur, ſed perinde ei obviabimus, ut & ipſe rerum adminiſtratione utetur: & ſive ſordidis eum manibus uti, ſive ad effectum aliquem reſpicere, ſive leges noſtras transgredi deprehenderimus, nos vigore legis ad facti ſui rationem reddendam, eum ſiſtemus: neque enim ut ſubditos ſervaremus, pecuniis aut quapiam aliarum rerum quæ nobis ſuppeterent, pepercimus.

CAP. IV.

OPortet præterea ipſum providere, ut omnia recte atque ordine fiant in civitatibus, & primum quidem ut civitates ſub ipſo collocatæ, ſeditionibus [14] careant, ex omni parte æquitatem conſervans, & ſummo ſtudio proſpiciens ne nimium ſubditis indulgeat, & frena relaxet. §. 1. Deinde neque *opera* [15] in civitatibus negligat, ne per hanc cauſam diminuantur, vel aquarum ductus, vel ipſorum pontium [16] tranſitus, vel murorum munitio, vel cura itinerum, ſed omnia reficiat, aut ſaltem ad nos referat, ut partim ex civilibus ea reditibus, partim noſtra liberalitate queant reficere. §. 2. Neque item committat ut exactoribus [17] qui a noſtris hinc proceribus commeant, ſit in aliquo damnum ſubditis noſtris inferendi licentia, aut ut hi ſubditos noſtros gravent qui conſuetas illas juſſiones adferunt, quæ olim ad ſubverſionem eorum qui mediocriter vitam inſtituerant, de thronis tuis procedebant, nunc injungentes murorum reparationes, nunc curam itinerum, nunc imaginum, pontium, portuum, aquæductuum publicorum renovationes, locorum denique publicorum ablationes, & ædium quaſi in ſolo non juſto ædificatarum demolitiones, & id genus alia magis ad nectendas calumnias expedita: ſed ipſemet hæc ad animi ſui curam revocabit, omnia peracturus abſque diſpendio. Si vero nobis viſum fuerit eam rem inſpectione indigere, ſacra pragmatica forma utemur: *quam ſane & ad totum magiſtratum, ſi videbitur, mittemus*, quæ ſecundum ipſum alteri quoque hanc inquiſitionem injungemus. Ita aliquando reſpirabunt ſubditi, ita denuo efflorescent civitates, ita qui eas incolunt, magnum incrementum capient, neque de patriis ſedibus diffugient [18] rerum ſuarum incolatum propter præſidum improbitatem quaſi terriculamentum aliquod metuentes.

CAP. V.

SCire igitur oportet excellentiam tuam, quod unus & ſimplex hic magiſtratus, non duplex futurus ſit, ut omnia quæ fiſcus utrique prius officio præbebat, ea ſecundum deſcriptionem ſacræ huic noſtræ legi ſubjectam, tam ipſi det, quam circa ipſum verſari ſolitis, & cohorti ejus: quemadmodum & hactenus præbita ſunt. §. 1. Et publicorum tributorum exactio ipſi ſimul & obtemperantibus ei prætorianis cohortalibus incumbet: habebitque utriusque officii inſignia, tametſi plurima militaria ſint: tamen & in vehiculo [19] ſedebit argenteo, & præcedet ipſum ſecuris, (nam & hoc conſularis imperii ſignum [20] eſt) ſimiliter & faſces [21] ipſi cum ſolennitate præibunt: obſervabitque eum univerſus exercitus, qui per eam provinciam ſtationes habet, cui curæ erit, ut & latrocinia reſecet, & injuria affectis opituletur, & ſubditos noſtros manſuetos inter ſe & modeſtos reddat. §. 2. Sed neque comitibus [22] permittet, ut ad publica tributa annuant, animumve adjiciant. Sed & inter ſpectabiles ipſe collocabitur, tametſi qui eam adminiſtrationem ſuſceperit, majoris forte ſit dignitatis, ſi quidem dignatio eorum, qui provinciam regunt, talis futura eſt, qualem nos ad quamque adminiſtrationem idoneam fore judicaverimus. Ipſum vero, propter imperium quod gerit, conveniens eſt inter [23] ſpectabiles numerari, inter quos & proconſules & comites Orientis, Galatiæ, & Phrygiæ ſunt. §. 3. Unde & ipſe cauſis quæ in ejus moventur provincia, tam pecuniariis, quam civilibus & liberalibus, audientiam præbebit, uti & genus magiſtratus licet. Appellationes [24] quoque contra ejus ſententias interpoſitas examinabunt hic ex more qui jam pridem in ſpectabilibus magiſtratibus obtinuit, tam glorioſiſſimi ſacrorum noſtrorum prætoriorum præfecti, quam glorioſiſſimus quæſtor, (prout jam inde ab initio traditum eſt) eo [25] quod alter jam magiſtratus civilior factus ſit admiſtis legibus, quas [26] etiam in ipſa arma imperium habere volumus.

CAP. VI.

SEcundum legem vero nuper a nobis poſitam, ſi quæ cauſa inter provinciam ſuam mota quingentorum [27] aureorum quantitatem non excedat, quæ per provocationem delata a ſuo transferatur judice, de hac non Pacatianæ Phrygiæ comes (ut prius [28] diximus) ſed ipſe cognoſcet, etſi ex delegatione, ſive [29] noſtra, ſive alicujus glorioſiſſimorum noſtrorum procerum cauſa illuc commiſſa ſit, modo proprie intentiones quas nuper in conſtitutione de appellationibus lata præſcripſimus, ſpectabilis non ſit: & cauſæ finem imponet, (non ut olim) poſt etiam huc mittendæ, ne ob parvas occaſiones magnorum ex eis diſpendiorum ſubditis noſtris anſam præbeat. Hæc autem & nos illi manifeſta facimus. Siquidem ſtudio habet potentia noſtra, non tantum ut adminiſtratoribus [30] ſigna eis ex codicillis (quos vocant) præbeamus, qualia ſpectabilibus magiſtratibus attribui ſolent, ſed etiam ex mandatis [31] principalibus, quæ veteres olim principes & legiſlatores reſponſa præſidibus edita vocabant: quæ cum nos [illegible], juſſimus in ſacro noſtro reponi laterculo, ut inde ſemper una cum codicillis præbeantur magiſtratibus: & hic quidem ipſum conferant officium, illa vero dirigant adminiſtrandi [illegible]. Cæterum ex deſcriptione quæ ſacræ huic legi ſubjicitur, clarum erit tum quid ipſum cum deligitur, occaſione codicillorum officii præſtare conveniat, tum etiam quid ipſi ſimul & adſeſſori, ac cohorti ejus e publico erogabitur. Sed & ſi quos vicinarum ei provinciarum præſides circa tributarum rationem negligentes invenerit, non [illegible], ſed ipſos ſpectabiles præſides fatigabis, ut vicinarum provinciarum præſidibus ſi ſocordiæ ſe dedant, immineant, & procurent, quo magis ea omnia in publicum modis inferant.

EPILOGUS.

† Præſentem itaque legem nos quidem ſacrarum noſtrarum conſtitutionum volumini juſſimus inſeri: ipſa vero ea ſuſcepta, omnia ex illius præſcripto agas, immortalem perpetuo beneficii noſtri memoriam præ ſe ferentis.

Oportet [32] Lycaoniæ prætori in hunc modum præberi. Ipſi quidem annonarum capituum & reliqui ſolatii nomine, ſolidos CCC. ejus adſeſſori, ſolidos LXXII. ejus cohorti, aureos LII. Rurſum oportet eum præbere ſpectabilibus chartulariis ſacri cubiculi per cauſam codicillorum, ſolidos IX. primicerio clariſſimorum tribunorum notariorum & laterculenſibus [33], ſolidos XXIV. ejus adjutori, ſolidos III. cohorti glorioſiſſimorum præfectorum pro juſſionibus & omni alia cauſa, ſolidos LX.

TIT. V.
DE [34] PRÆTORE [35] THRACIÆ.
NOVELLA CONSTIT. XXVI.

Imp. Juſtin. Auguſt. Joanni glorioſiſſ. ſacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

ILlud in confeſſo eſt, quod ſi quis Thracum regionem nominet, ſtatim una cum dicto virilitas quædam animum, & militarium copiarum, bellorum [36] ac pugnæ cogitatio ſubeat. Sunt enim iſta ingenita & quaſi patrio quodam jure huic regioni attributa. Itaque & prius

1 Ut prætor Lycaoniæ ad centum usque apparitores habeat. 2 Ut Prætor Lycaoniæ habeat non ſolum civilis, ſed & militaris magiſtratus annonas. 3 Ἤτοι ἀποκρισιαρίους Scrimg. lege ἀποκρισιάριον. de apocriſiariis ad *Novell.* 24. *cap.* 4. Julianus hic, habeant autem & Adreſponſum, adde *Nov.* 123. *c.* 25. 4 Prætores provinciarum olim ex numero procerum electi. 5 Præſumitur gratis judicaturus, qui gratuito adminiſtrationem ſuſcepit. 6 *Novell.* 8. *c.* 7. 7 Ita appellatur *Novell.* 31. *c.* 3. alibi Præſes, *Novell.* 24. §. *hic.* 8 *l.* 13. *ff. de offic. præſid.* 9 Raptus virginis grave crimen, quin videtur id ſcelus homicidio gravius eſſe. *ut hic.* 10 *Nov.* 24. *cap.* 2. 11 Judicandum eſt ex legibus. *Inſt. de offic. jud.* 12 *Novell.* 24. *c.* 3. 13 *d. Novell. c.* 1. *in fin.* 14 *l.* 13. *ff. de offic. præſid.* 15 *Novell.* 24. *c.* 3. *l.* 7. §. 1. *ff. de offic. proconſ.* 16 *Novell.* 17. *c.* 4. 17 *d. cap.* 4. 18 *cap.* 3. §. *hic. Novell.* 24. *c.* 1. 19 Ἀπήνης ἀργυρᾶς καθιζεῖται. Scrimg. carrucam argentariam habeat. *Jul. cap.* 69. 20 Securis, & faſces inſignia proconſulis. 21 Sive virgæ. *Jul.* 22 *Novell.* 17. *c.* 4. 23 Ut Prætor Lycaoniæ ſit inter ſpectabiles magiſtratus. 24 Si provocatio porrecta fuerit contra ſententiam prætoris Lycaoniæ, vel alterius qui in Lycaonia judicavit. *Jul. cap.* 69. 25 Ita eo, ipſo, quod Prætor Lycaoniæ civilis factus ſit magiſtratus: [illegible] *Novell.* 24. *c.* 3. 26 Leges imperium in ipſa arma habere jubet Imperator: adde *l.* [illegible] *C. de legibus.* 27 Ut *Nov.* 24. *c.* 4. 28 Ut *Nov.* 24. *c.* 3. 29 Delegare qui olim potuerint. 30 Τὰ σύμβολα τῶν ἀρχόντων. 31 Vid. *Nov.* 17. 32 Notitia prætoris Lycaoniæ. 33 Qui laterculo inſerviunt: de laterculo alias dixi. 34 Præſidis meminit *Novell.* 8. *c.* 15. §. 28. 35 [illegible] de officio prætoris Juſtinianei Thraciæ, & de provocationibus in Thracia porrectis. *Jul. conſtit.* 19. 36 Ovidius, *Arctoum Thracum qui regna, alter erit.* Statius, *Mavortia Thrace.*

prius a nobis ſuſcepta eſt cogitatio redigendi in meliorem ſtatum ea quæ illa loca concernunt, & hoc tempore de his, quæ longo jam agitavimus conſilio, præſentem legem tulimus. Duos [1] ſane vicarios nomine ad Longum murum [2] ſedere omnes ſcimus, quorum alter militares cohortes regit, (eſt enim magna vis militum eo in loco) alter præfectus eſt negotiis civilibus. At cum ambo vices [3] illic impleant, hic [4] quidem glorioſiſſimorum præfectorum [5], ille vero magnanimorum magiſtrorum militiæ, nunquam tamen inter ſe conſentiunt: ſed tametſi ſuas unicuique fiſcus annonas ſeparatim ſuppeditat, & alia præbet ſolatia, nihilominus unum hoc ſibi negotii perpetuo & indeſinenter ſumunt, ut contentiones inter ſe immortales exerceant.

CAP. I.

REcte igitur atque ordine viſum nobis eſt hic quoque facere, quod apud alias [6] gentes, quanquam non ita efferas, non ita militaris cuſtodiæ indigentes fecimus: & ut non hic quidem civilibus negotiis præſit, ille vero inter milites & ſolos imperitet, utrumque [7] officium in unum contrahere & præficere ei loco gravem aliquem & reverentia dignum magiſtratum, qui ex æquo tam civilia illic negotia curet, quam de venuſto & decenti ordine militum ſollicitus ſit. Nam qui provinciam moderatur, is in aliis verſatur locis, vix illis ſufficiens. §. 1. Si vero horum locorum cuſtodia, omniumque rerum per ea loca adminiſtratio, & in bonum ordinem collocatio, tum etiam militia bono aliquo viro indiget, & qui idonee tam milites poſſit excolere, quam imperitare ex lege: quod tandem illi nomen ex vetuſtate accommodatum imponemus? aut quam appellationem amplexi, hunc gerenti magiſtratum aptabimus? an vero re ipſa manifeſtum non eſt, quod quemadmodum Piſidiæ rector, & ſummus Lycaoniæ magiſtratus a nobis nominatus inſtitutusque eſt, ita & hic prætor [8] nominabitur aſſumpto pietatis noſtræ cognomine? Nam ſi prætor Romanorum Imperatoris ſimul [9] & legiſlatoris locum in ſua republica tenuit: in confeſſo eſt, quod nihil perinde hujus magiſtratus appellationem deceat, quam nomen prætoris. Siquidem & militum copias reget, & paganos ſubditos non paucos habebit, quibus ex noſtris legibus jus reddet. Denique tam civiles res, quam militares in iis locis bono aliquo viro indigent. Nam & anterioribus temporibus ſemper quidam militares viri in ſummis conſtituti dignitatibus, tam militaribus illic copiis præibant, quam cæteris auxilio erant, quamvis non milites, ſed pagani exiſterent. Barbarorum enim excurſiones non mediocri opus habent præſidio. Quæ vero illos concernunt, ea committi debent uni alicui, qui ſecundum leges ipſis præire poſſit, cum multum interſit inter rectum & perverſum ordinem: & omnibus perſpicuum ſit, quod militaris [10] quidem res ſi ſola & per ſe conſiſtat, ultra quam decet, efferatur audacia: civilis vero, niſi [11] admiſtum habeat robur militum, infra mediocritatem auctoritate careat: utrumque vero ſi in idem cum altero concurrat omnium perfectiſſimum & abſolutiſſimum ſit, quodque tam ad gerendum bellum, quam ad tuendam pacem ſufficiat.

CAP. II.

IDeoque hujus etiam provinciæ officia copulantor, & Prætor hic Juſtinianeus Thraciæ nuncupator. Signa vero magiſtratus a nobis erunt tam codicilli hinc procedentes in forma cæterorum ſpectabilium magiſtratuum, quam monita quædam Imperialia, rationem explicantia, quæ provinciæ adminiſtrationem perficiat, quæ majores noſtri [12] Mandata [13] Principis nuncuparunt, cum quibus in provincias proficiſcentes, qui eas ſortiti erant, inde quid facto opus eſſet, accipiebant. Atque ea res ſemper & pulchre excellens habita eſt, magnumque nominis ſplendorem prætoribus addidit apud plurimas reipublicæ noſtræ gentes, & maxime Occidentales, a quibus progreſſi Romani totum (pene dixerimus) Septentrionem, & Meridiem, & multo maximam Orientis partem ſuo adjecerunt imperio. Quæ igitur in dicta a nobis lege de provincialibus [14] officiis ſcripta ſunt, quæ item de Prætore Piſidiæ [15] & Lycaoniæ [16] differuimus, ut & ipſi gratis hic deſignentur, & gratis ſe viciſſim ſubditorum noſtrorum commodis exponant: omnibus manifeſta ſunt. In univerſam enim jam imperii noſtri ditionem lex prodiit, & apud omnes vulgatiſſima facta eſt. Deſcriptum ſane & jusjurandum [17] eſt, quo magiſtratus noſtros conveniat, cum officia ſuſcipiunt, animam ſuam devovere Deo, & tueri ſubditos noſtros in æquitate & juſtitia, ab omnibus ſordibus, inimicitiis, & gratia remotiſſimos. §. 1. Cæterum cohortales ei non ultra centum [18] apparebunt, habebitque tam civilis quam militaris officii inſignia. Inſuper aderit illi etiam Adreſponſum [19] propter copias quæ illic reſident, in quas plenum habebit imperium, & quidvis cum illis ad utilitatem reipubl. & attentandi & perficiendi licentiam. §. 2. Publicorum præterea per illa loca tributorum exactio, tum ipſum, tum cohortem ejus reſpiciet: & tota cohors Prætoriana appellabitur, hinc edendis & ex ſacro epiſtolarum ſcrinio prodeuntibus, probatoriis conſtituenda, unde tales olim probatoria Vicariana quoque cohors ferebat.

CAP. III.

CUræ autem habebit, primum quidem, ut a [20] donis & muneribus puras conſervet manus: deinde ut omnem æqualitatem ſubditis noſtris tam publice quam privatim exhibeat, *& litigantibus, & inter ſe contrahentibus, quo omnem ab ipſis controverſiam depellat.* † Item ut milites quidem bellicis exercitationibus meliores & alacriores efficiat, paganos vero per legem componat, ut juſti, & ab omni improbitate & malitia immunes reddantur. quo magis hi quidem ad juſtitiam, illi vero ad virtutem & fortitudinem progreſſus faciant: & ſi belli cauſa aliqua fiat excurſio, facillime hanc expediat, utraque cohorte præſente, illa quidem alteri ſubminiſtrante in iis quæ civiles cohortales decet, copiis vero militaribus citra tergiverſationem hoſtiles inſultus propulſantibus. §. 1. Oportet inſuper, ut etiam in cauſis, ſive hæ pecunias, ſive crimina, ſive aliud quiddam concernant, audientiam [21] præbeat, & recte ſecundum leges noſtras, & abſque omni affectu judicet, ne alii qui inde excurrentes, noſtram inquietent potentiam. Neque enim volumus ut collatores noſtri relicta provincia ſua a provinciæ præſidibus deſpecti, huc adcurrant. Nam ſi poſthac nobis ab his qui ex eo loco commeant, negotium fiet, omnino percontabimur adeuntes, ſi ea renunciaverint imperium in provincia gerenti: ac ſi edocti fuerimus, quod iſta non denunciaverint: cum ſumma eos increpatione remittemus in provinciam: ſi vero illi denunciaverint quidem, at provinciæ imperium gerens, aut per ſocordiam omiſit, aut turpi aliqua de cauſa legum rationem non habuit, tunc omnem animi noſtri motum in ipſum convertemus. Quemadmodum enim majores in illum erogationes fecimus, (nimirum utriusque officii) tantæque hominum multitudini eum præfecimus: ita ſi compertum habuerimus, quod indigne in hoc verſetur officio, neque remiſſe agemus, neque mediocres pœnas irrogabimus: imo *quanto ipſum altius in ſublime evehimus, ſi probe ſe gerat, tanto rurſum gravioribus eum percellemus pœnis ſi quid contra leges deliquerit.* † Ad hæc nemini [22] omnino oportet eum ſuccumbere [23], neque ſi inſigni aliqua dignitate ſit præditus, neque ſi opibus abundet: propterea enim gravioribus viris & auctoritate plenis ejusmodi tradimus officia: ne quid neceſſe habeant remittere his, qui opibus ſuis freti, aliis velint inferre injuriam.

CAP. IV.

CUrabit quoque omnia illic *opera* [24] *publica*, neque patietur, ut vel portus, vel muri, vel pontes, vel itinera, vel denique alia vitium contrahant: ſed ipſe, quæcunque ex civilibus reditibus poſſunt refici, ea procuret: ſi quid vero ex his majore [25] cura indiget, id per ſuggeſtionem ad nos referat, & rationes conficiantur, prout jam a nobis lege ſancitum eſt. † Neque enim volumus, ut qui ſolitas haſce negotiationes, item aquarum perveſtigationes, & hortorum, murorum, imaginum, aliorumque id genus reparationes (quæ quidem omnia olim abrogari placuit) exercent, hi a præfectura quam moderaris mittantur in provinciam: ſed ipſe perveſtiget ea quæ fieri debeant, & ſecundum conſtitutionem noſtram rationes illos faciat edere. §. 1. Quod ſi nobis placuerit alium ad hoc dirigere: per pragmaticas formas id efficiemus, quæ (ſi ita viſum ſit) ad tuam deferantur præfecturam. Nam ut ſubditos noſtros eripiamus & liberemus diſpendiis, propterea & magnam pecuniæ vim (ut ex parte vel ipſe noſti) deſpicimus, & ita amplis annonis tam præſides, quam cohortes & circa illos verſari ſolitos conſolati ſumus, ne per egeſtatem forte, aut ejusmodi aliquid, parum decentibus factis occupentur, ſed inſigni dignitate præditi, & de amplo [26] ſenatorum ordine ſint, & ita cum Dei & noſtri memoria verſentur in provincia. Quæ ſi nullo unquam pacto memoria neque huic exciderint, per omnia ſe ipſo pulchrior futurus eſt. §. 2. Ac ſi [27] veteres Romani conſularibus [28] tantum & prætoriis viris provinciarum adminiſtrationes demandarunt, neque nos alienum a bonis moribus faciemus, ſi talibus eas tradamus, qui exactorum hinc in provincias tendentium, & præter rationem collatores noſtros damnis involvere tentantium violentias reprimentes, hujusmodi neceſſitatem queant reſolvere. Damus etenim ei & curioſius iſta indagandi, & prohibendi, & ad nos per ſuggeſtionem nuntiandi facultatem, & ut partim ipſe per ſe ea corrigat, partim celerius ad noſtram referat notitiam: ut ſi qua in re imbecilliores ſunt, ibi vires creſcant, & ſuppleantur ſcientiæ, & juſſionis noſtræ acceſſione.

CAP. V.

HÆc etiam in ſacris ipſos admonebimus Mandatis, quæ una cum ſignis magiſtralibus trademus, ut memores juramentorum quæ præſtant, & monitorum quæ illis dabimus, prout nos noſtrumque de illis mereatur judicium, & propriam exornent vitam, & traditum gubernent officium *ſecundum noſtras leges. Quibus ipſis conditionibus* [29] *magiſtratum tradimus*, dantes illis (ut dictum eſt) omnem poteſtatem ut tam in pecuniariis, quam criminalibus, & omnibus denique cauſis judicent, & appellatio apud ipſos interpoſita ad glorioſiſſimos noſtros præfectos & glorioſiſſimum decurrat quæſtorem, qui cauſæ communem præbeant audientiam ſecundum formam earum cauſarum, quæ in ſacrum introducuntur palatium. Si quam [30] vero cauſam minorem quingentis aureis per ea loca provocatione ſuſpendi contigerit, & ſi ex delegatione vel noſtra vel judiciaria ſit, neque is cui ea cauſa delegata eſt, ſpectabilis judex ſit, ut ex illis locis appellatio ad ipſum procedat, eamque audiat in forma ſacri palatii. Ornamus enim officium ejus hoc etiam modo, & æqualem [31] conſtituimus ſpectabili comiti Orientis, & proconſulibus & comitibus Phrygiæ & Galatiæ: ut & *ipſum ſpectabile* [32] *ſit, quemadmodum harum regionum officia ſunt, atque in hac forma perſiſtat: ut interim tamen hæc noſtra lex clariſſimi provinciæ præſidis officium non minuat, ſed illo in aliis provinciæ locis conficiente*, quæ quidem propria legum ſunt: hoc ſcilicet demandatam ſibi a nobis ſolicitudinem in illis partibus in quibus conſiſtit, implente. §. 1. Subjicietur item a nobis huic legi deſcriptio [33], quæ commemoret & quid ipſum erogare pro codicillis magiſtratus, & quid ipſum circaque ipſum verſari ſolitos rurſus auferre ex publico conveniat titulo annonarum, quas etiam ſolas ipſos omni alio extra hanc cauſam lucro abſtinentes accipere permittimus. *Propterea enim per majores erogationes ampliores eos effici-*

1 Vicarii duo olim in Longo muro ſedebant, quorum unus militaris, alter civilis magiſtratus, vid. *Novell.* 8. *cap.* 1. ubi notitia dignitatum continetur §. 5. 2 Longus murus, munimentum præſidiumque Thraciarum. 3 Hoc eſt, ſint & appellentur Vicarii. 4 Vicarii igitur ex hoc loco videntur dicti, quod vices Præfectorum & magiſtrorum militum implerent. 5 Præfectis prætorio curæ fuiſſe negotia civilia, hic locus argumento eſt. 6 Piſidas *Nov.* 24. Lycaonas *Novell.* 25. 7 Ut qui Thraciæ præeſt Prætor, duorum vicariorum, qui in Longo muro ſedebant, ſolus habeat magiſtratus. Sane mihi ſuſpicio eſt, Juſtinianum rebus dictantibus deprehendiſſe, ſectiones illas magiſtratuum in civiles & militares magiſtratus, a Conſtantino Magno introductas, ipſis provinciis noxias eſſe, atque eo nomine rebus ita poſtulantibus, utroſque magiſtratus (qui antea disjuncti ac diviſi a Conſtantino) in unam poteſtatem conjunxiſſe. Vide Zoſimum de partitione illa Conſtantiniana *lib.* 2. adde *Nov.* 25. *in pr.* J. ubi manifeſte Juſtinianus reprehendit has magiſtratuum diſſectiones. 8 Nota de prætore Thraciæ. 9 Prætoris Romani autoritas. adde *l.* 2. §. 32. *ff. de origine juris.* 10 Fortitudo ſine ſapientia res barbara. 11 Vana eſt ſine viribus ira. adde *l.* 2. §. 13. *ff. de origine juris.*

12 Mandata provinciarum rectoribus dabantur ab ipſo Imperatore, ne provinciæ bene regendæ atque adminiſtrandæ, ipſi rectores, inſcitiam prætexerent. 13 De quibus vid. *Nov.* 17. 14 *Novell.* 8. 15 *Novell.* 24. 16 *Novell.* 25. 17 *Novell* 17. 18 *Ut Novell.* 24. *cap.* 1. *Nov.* 25. *c.* 1. *in fin.* 19 Quid eſſet adreſponſus, dixi ad *Novell.* 24. 20 Adde *l.* 6. §. 3. *ff. de offic. proconſ.* 21 Facit *l.* 19. §. 1. *ff. de offic. præſid.* 22 *Nov.* 25. *cap.* 2. 23 Id eſt, connivere: aut tales ejusmodi metuere. 24 *d. Nov. cap.* 4. §. 1. Opera publica, portus, muri, pontes, itinera, & his ſimilia. adde *l.* 7. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* 25 Ut non poſſit ſumptu publico refici. 26 Rector Thraciæ honore ſenatorio inſignitus. 27 Provinciarum adminiſtratio olim a Romanis conſularibus tantum & prætoriis viris demandata. 28 Vid. *tit. de offic. proconſ. & præſid.* 29 Ea & quidem tacita conditione magiſtratui quis præficitur, ut ſecundum leges judicet. 30 Ut a non ſpectabilibus Thraciæ appelletur ad Prætorem ipſum Thraciæ. 31 Prætor Thraciæ æqualis Comiti orientis & proconſulibus. 32 Prætor Thraciæ, ſpectabilis. 33 Id eſt, notitia.